



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia  
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,  
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

**Maffei, Scipione**


**Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756**

Authoris Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)





A U T H O R I S  
P R Æ F A T I O.

**C**UM ea, quam hic adornamus, Dogmatum primorum Æræ Christianæ Sæculorum de gratiâ, arbitrio & prædestinatione collectio id potissimum spectet, ut, planum fiat, quantum cum traditione Catholicâ, & maxime cum sententiis Augustini pugnent opiniones per Bullam *Unigenitus* proscriptæ: abs re non erit, si brevissimam Historiæ ejusmodi errorum præmittamus epitomen: propterea quòd plurimi ex iis, quorum bono hæc præcipuè compilatio suscepta fuit, vix aut nè vix quidem aliquâ ejus cognitione aspersi sint; intersit autem vel maxime, ostendi, quàm immeritò hæc tempestate homines adversus earum propositionum condemnationem insurgant, quas Ecclesia sapissimè jamtum execrata est, & profligavit.

SÆCULO XIV contra dogmata & disciplinam cæco furore insurrexit Wiclef. Historia  
Wiclef. De Gottescalco tamen, qui ad IX usque Sæcula de Prædestinatione eum in modum disputavit, ut meritis fuerit à tribus Synodis anathemate feriri, nihil faciam mentionis hoc loco. Fuerunt enim homines eruditi, qui existimârunt, aliam fuisse ejus mentem, ipsûmque imprudentiâ potiùs lapsum fuisse, quàm hæresi. Pagius tamen, qui rem totam præclare exponit, advertit inter alia, illum interdum mutasse phrasin, *errorémque suam callidè, ac fraudulenter dissimulasse*, (a) eâque in re hodiernorum Sectariorum mori perfectè præluisse. At Wiclefus innumera prava dogmata sparsit, arque inter cætera: *quod omnia* (b) *de necessitate absolutâ eveniant*. Quo solo subvertitur, quidquid de libertate, prædestinatione, & gratiâ docet fides. Afferuit etiam, quòd *Ecclesia Romana sit Synagoga Satane*; quòd *nullus sit Dominus civilis, nullus... Prælati, nullus... Episcopus, dum est in peccato mortali*; quòd nullus Episcopus anathemate percellere quenkum debeat, *nisi priùs sciât, eum esse excommunicatum à Deo*; item quòd *Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non sit timenda, quia est censura Anti-Christi*; & alia plura hujusmodi.

2. WICLEFI vestigia pressit Joannes Huf, qui eadem omnino monstra pro- Joannis  
Huf. tulit, & speciatim in Confessionem, atque Eucharistiam styllum strinxit. Afferuit, Pontificem esse *Advocatum Anti-Christi*; recoxit etiam illud, quòd Principes & Episcopi lethalis noxæ rei non sint amplius Principes, aut Episcopi. Scripsit præterea, non posse Deum hunc mundum majorem, aut minorem condere, & *animas ad certum numerum creare, & non ultra*. Inter propositiones ejus extant etiam sequentes: 1ma: *Unica est Sancta universalis Ecclesia, quæ est Prædestinatorum Universitas*. (c) 3ta & 5ta: *Præsciti non sunt partes Ecclesiæ... etsi aliquando sint in gratia: Prædestinatus tamen semper manet meritum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia*. 8va: *Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes Sacerdotii polluant potestatem, & sic ut filii infideles sentiunt infideliter*; idest fide exciderunt. 16ta: *... Si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiosè &c. quia vitium sicut peccatum mortale inscit universaliter actus hominis vitiosus*; unde quidquid agit peccator, erit peccatum. 21ma: *Gratia Prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus mem-*

(a) vid. ad ann. 848. & 849. n. 8. (b) vid. Concil. edit. Venet. Tom. 16. p. 120.  
(c) pag. 248.



*brum jungitur Christo Capiti insolubiliter. 20ma: Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus (idest non prædestinatus) ... non est Caput S. militantis Ecclesie ... nec ... membrum ejus; & alia plura hujus furfuris. Quis in his non agnoscit Propositiones nostræ ætate renatas, & denuo proscripitas? Omnes hi errores, pluresque alii non modò ab Academicis, ab Episcopis, à particularibus Synodis; verum etiam à Concilio Constantienfi, & Decreto Martini V.ii solenniter rejecti fuere, profligatique.*

*Lutheri,  
& Calvi-  
ni.*

*Eorum  
scopus,  
& frau-  
des.*

3. DEMUM antiquam Catholicamque doctrinam de Consilio, datæque operæ convellere aggressi fuere Lutherus, & Calvinus: quorum ille quidem librum procudit, quo ostenderet, *servum esse arbitrium* hominis, non liberum; hic verò Lutheranum nactus Magistrum sexcentis in locis totum dogma subvertere, Christianisque mentem planè confundere conatus est. Pauci tamen assequi satis solent hæresiarcharum consilia, & scopum. Sæpius non laborant de eo, quod videtur; disputationesque illæ, quas tanto conatu invehunt, aliud sæpenumero non sunt quàm callidi quidam prætextus, & strategemata. Certum esto, doctrinas illas de prædestinatione, & gratiâ quoad se spectatas parum curasse Lutherum & Calvinum. At cum propositum sibi haberent cristis altius elatis in Duces factionis evadere, iras invicem coquentes, atque in convellendo, labefactandoque in suorum animis primatu Pontificio, auctoritate, atque infallibilitate Ecclesiæ conspirantes, artificiosam magis, aut validam ad manum non habebant machinam, quàm ut persuaderent, erronea in quibusdam capitibus esse, quæ de eâ crederentur; necessarium proinde esse, ut discessione factâ novam doctrinam amplecterentur. Sic, quando subducere se volebant Patriarchæ Constantinopolitani, neque amplius superiorem agnoscere, expeditiorem non habebant viam, quàm declamare è suggestu, suisque inculcare, Pontifices, totamque Ecclesiam latinam de Spiritus Sancti processione turpiter hallucinari; expedire proinde, ut disjungant, suisque rebus consulant, nè eorundem damnationis sese reddant participes.

VERUM inter schismaticum Authores callidiores fuere duo supra nominati, quando in libertatis, gratiæque dogmata impetum fecere: qui enim his in rebus auctoritati S. Scripturæ per Patres explicatæ, qui Decisionibus, Decretisque summorum Pontificum, atque Ecclesiæ se non submittit, neque acquiescit, ad græcas usque Kalendas inveniet, quo de lirem moveat. Neque fiet unquam, ut per publicas concertationes componantur animi, aut eum in locum res adducantur, ut non possit in scirpo nodus quæri.

*Doctrina.*

DOCUERUNT itaque illi, (a) *liberum arbitrium esse figmentum in rebus, seu titulum sine re: errorem esse, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere: (b) nomen liberi arbitrii (c) odiosissimum fuisse antiquis Patribus. Quod quàm verum sit, in hoc præcipue Opere deprehendi poterit. Porro (d) decretum fuisse à Deo, ut suâ defectione periret Adam, & eorum frigidum esse commentum, qui dicunt, liberi arbitrii fuisse. Indè factum fuisse, ut tot gentes æterna morte damnatæ fuerint, decreto verè horribili. Docuerunt, (e) volente, ac jubente Deo excæcari hominem.... atque inde apparere, certâ destinatione DEI fuisse impulsos.... atque à Deo ipsis manare efficaciam erroris. Item cum dicitur Deus excæcare, & indurare reprobos, eorum corda vertere, inclinare, impellere; ad præscientiam, aut permissionem confugiendum non esse ... siquidem*

(a) Luth. in Psalm. Id. in Psalm. V. (b) Calv. in Antid. Titulum sine re esse; qui affirmant, Christum habent auctorem. Luth. in Confut. Tot Scripturæ testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis, ut nihil manifestius. Calv. Instit. l. 2. c. 7. Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum. (c) Luth. in Colloq. Calv. Instit. l. 2. c. 3. Voluntatem movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo. (d) Id. Instit. l. 3. Decretum fuisse &c. Unde factum est, ut tot gentes æternæ morti &c. Decretum quidem horribile fateor. (e) Inst. l. 1.



per ministrum iræ suæ Satanam destinat, quod visum est, & (a) reprobant... quos præterit, non ob peccatum aliquod, sed nullâ aliâ de causâ, nisi quod ab hæreditate, quam filiis suis prædestinat, illos vult excludere. Ubi verò illam reponeamus doctrinam: quod Opera (b) extra fidem facta, ut maximè in speciem sancta videantur, sub peccato, & maledicto sint? Ubi illam: quod Christus (c) proprii gregis solummodo sollicitus fuerit, & pro electis suis duntaxat oravit? Item illam: quod nihil possit liberum arbitrium sine gratiâ necessitante, quam soli electi habent. (d) Peculiarem etiam mentionem meretur, quod docuerit, timorem inferni non esse utilem & sanctum; sed perversum, & noxium. Quid? quod (e) quod magis timore pænæ conteruntur, eò magis peccent; quodque (f) fervile huiusmodi obsequium non repudiaturus modò sit, sed procul etiam rejecturus; quandoquidem nihil probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat. Unde aliæ etiam virtutes, non morales solum, sed & theologice erunt peccata. Quotusquisque est, qui ex hoc exiguo specimine non agnoscat omnia hæc principia ab hodiernis Sæctariis secundis curis procudi. Quis hic non intuetur ipsissimas eorum propositiones? Jam verò hæc, aliæque non minùs execrabiles inde profluentes blasphemie initio turbarum erant receptissimæ; partim quia primus furor, & accensa in Catholicos rabies novitatem quamcunque & intemperiem ferebat, modò ut illis adversaretur; partim quia Coryphæi celabant plebeculam, aut certè integumentis quibusdam nefanda adeò principia obvolvebant. Verùm subsidente nonnihil procellâ ipsi usque adeò Lutherani, & prudentiores à Calvinianis ad illa cohorruere, magnamque partem suis ea in Synodis conati sunt retractare. Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum in iniquas adeò opiniones fulmen torfit, atque omnes damnavit, exclusum sinu Ecclesiæ declarans, quicumque eas in animum induceret tueri.

4. NOVA nihilominus mox fuit suborta tempestas. Coalescere Lovanii cœpit secta quædam, cujus scopus initio fortè erat, dejicere Theologos quosdam de sublimi nimium, quem conscendisse videbantur, existimationis gradu. Du- Ortus  
Bajani  
hæresis. cem turbulentis ejusmodi hominibus se præbuit Michaël Bajus, in Academia Professor, qui ut victoriam (effectu nempe hujus passionis proprio) per fas aut nefas referret, religioni sibi non duxit Catholici puritatem dogmatis in quaestionibus adeò spinosis atque implexis impetere: Verùm ubi impendentibus à Synodo Tridentinâ fulminibus, Lutheri, Calvinique errores defendere palam nemo poterat, quin Catholicorum cœtu excluderetur: cùmque cohorrescere ipse videbat Christianos, quando dogmata ipsorum, & dictamina, candidè dilucidèque audiebant proponi, de aliâ deinceps viâ tenendâ cogitari cœptum est, deque re omni cautè omnino, ac quasi per cuniculos aggrediendâ; ita quidem ut eadem dicerentur, testè tamen adeò, atque involutè, ut pauci quid monstri aleretur, olfacerent. Cavit itaque sedulò ac sapè, nè suis in scriptis huiusmodi sensa apertè atque enucleatè proferret; nec nisi eminus duntaxat velitando multa admodum subtiliter induxit, quæ aut rectâ, aut obliquâ saltem viâ ad eundem, vel diversum paulò scopum deducerent. Quandoque tamen palam etiam prompsit ulcus, aliud non agens, quàm repetens, quæ superiores duo jamtum effutierant. Docuit itaque: (g) ad rationem, & definitionem peccati non pertinere voluntarium; (h) falsò item tribui Augustino, quod asseruerit, Deum homini nihil impossibile præcepisse... cùm Pelagii sit. Docuit, (i) solam violentiam repugnare libertati hominis naturali, ac proinde hominem peccare etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. Docuit, (k) omnia opera infidelium esse peccata, & Philosophorum virtutes esse vitia. (l) Docuit, sine gratiâ Errores  
Baji. liberum arbitrium non modò non habere vires ad ullum opus meritorium, sed

(a) lib. 3. (b) Luth. in Galat. & Calv. Inst. l. 3. c. 4. Sola absentia fidei sufficit, ut omnia opera infidelium sint peccata. (c) Id. in Joan. l. 1. c. 17. (d) Chemnit. ad Trident. Sess. 6. (e) Luth. Serm. de Pœnit. (f) Calv. Antid. ad Sess. 6. (g) Baji prop. 46. (h) prop. 54. (i) prop. 66 & 67. (k) prop. 25. (l) prop. 27 & 28.



nè ad actum quidem naturaliter, & in genere moris bonum, nec nisi ad peccandum valere; & Pelagianum esse errorem, dicere, quod liberum arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum. Item (a) omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum esse. Insuper (b) omnem amorem... creaturæ rationalis, aut vitiosam cupiditatem esse, ... aut laudabilem charitatem.... peccatorem etiam in omnibus suis actibus, ac proinde etiam cum morem gerit præceptis, cum sacro interest, aut à cibo se abstinere, servire dominanti cupiditati, & denuo peccare. Docuit porro, (c) prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, esse prohibita præcepto: Non concupisces; eumque præceptum infringere, tamen non consentiat. Concupiscentiam (d) sive legem membrorum, ... esse veram legis inobedientiam. Et (e) quamdiu illius aliquid in diligente est, non facere præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; siquidem (f) non sit vera legis obedientia, quæ sit sine charitate. Unde reliquæ virtutes non producunt nisi peccatum. Docuit, nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocari gratiam, (g) sed esse pura merita. Humane naturæ (h) sublimationem, & exaltationem in consortium Divinae naturæ debitam fuisse integritati primæ conditionis, & proinde naturalem dicendam esse, & non supernaturalem. Immortalitatem primi hominis itidem non esse gratiæ beneficium, sed naturalem conditionem. Non desunt alia plura horribilia paradoxa in ejus dictatis; exempli causa: (i) Nullum esse peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum mereri pœnam æternam. Omnes omnino justorum afflictiones esse ultiones peccatorum ipsorum; unde & Jobum & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passos esse; atque hinc B. Virginis.... afflictiones in hac vita.... etiam fuisse ultiones peccati actualis, vel originalis. Afferuit præterea: Sacrificium Missæ non aliâ ratione esse sacrificium, quàm generali illa, quæ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate Deo homo inhaereat.

SUFFICERENT abunde hæc ad ostendendum, quomodo hic Doctor totum se Lutheri & Calvinii opinionibus manciparit. Quotusquisque amabo est, qui his in assertionibus ipsissima illa non videat, quæ antè duo viri illi prouturunt & posterius, recentèrque disseminata, ac proscripta sunt?

Damnan-  
tur.

JAM verò omnes hi, multique alii ejusdem Authoris errores à tribus summis Pontificibus, quorum primus fuit S. Pius V. præmissò longo examine solenniter fuere proscripti, atque in omnibus postea Dicecesibus cum horrore rejecti. Speciale contra eos Decretum vulgavit Academia Lovaniensis, statuens, non posse suum in album referri, nisi qui interposito jurejurando asseveraret, se hos semper ad unum omnes repudiare. Non est præmittendum hoc loco, quòd Bajus post tortum in se fulmen, multorum persuasionibus, ipsòque animi adactus remorsu ad frugem redierit; seque Pontificio submisit Decreto, ac demum anno 1580. mentem cumulatè retractarit: ex quo sperare licet, Ecclesiam morienti bene fuisse precaram. Si verè resipuit, atque ex animo, ut credi fas est, errores retexit, suffundi rubore debebant ejus sequaces, quòd quem errantem sunt secuti, hunc non imitentur pœnitentem, ultima, eaque magis sincera Magistri sui dogmata amplectentes. Sin', quod alii affirmant, fucum fecit, magis adhuc debebunt erubescere, quòd adhæreant, similesque se reddant illi, qui, dum de conscientia, & religione agebatur, tam turpiter mentiri, aliisque imponere sustinuit.

Jansé-  
mus, suc-  
cedit Ba-  
jo.

5. BAJUS successorem habuit Jansénium, qui pariter Lovanii literis operam dedit, imbutoque per Sanciranum, cui sat diu cohabitaverat, animo, damnatam Baji doctrinam recoquere aggressus est, & propugnare; id quod tanto studio, tantoque conatu præstitit, ut eandem cum Luthero & Calvino ex imposito sectæ nomine probrosam laudem fuerit consecutus. Pragrande ipsius volumen evulgatum fuit ab ejus morte, quæ hominem oppressit anno 1638.

(a) prop. 35. (b) prop. 38 & 40. (c) prop. 50. (d) prop. 51. (e) prop. 76. (f) prop. 16. (g) prop. 1. (h) prop. 21. & 78. (i) prop. 20.

CON-



CONSTITUERAT primum in libri fronte mentem suam aperire his verbis: *ad excusandas propositiones Magistri Michaelis*, uti deprehensum fuit in celebri ejus autographo; verum postea mutavit consilium. In Operem multò adhuc altius repetens causam totam conabatur ad Sophismata reducere, quæ quidem in cujusque oculos non incurrerent. Videbatur etiam fatigare velle lectorem prolixitate, & mole voluminis: quo fiebat, ut nonnulli fidem ei habere maluerint, quàm tam difficile & confragrosam cum ipso iter emetiri. Propositum sibi habebat quàm maximè, omnem errorem venerando Augustini nomine ceu pallio obvolvere: adduxit sexcentis in locis distinctionem quo & sine quo, sed quanto abusu, videbimus suo loco. Interdum etiam videri possit, Calvini exemplo, sanam admiscere doctrinam; cujus nempe præsidio accusationis sese tempore tueretur; quo tamen effectum fuit, ut palpabiles etiam ipse inter se antilogias copularet.

MULTA satis verba fecit (a) *de arbitrii strage, quâ non est amplius liberum, ut bene vivat homo*. Dexterè etiam quandoque Lutheri causam suscepit tuendam. Miros dedit ludos, cum S. Augustino certas quasdam voces tribuit, sed quas nunquam ille adhibuerat, superstruens iis acumina, axiomata & doctrinas. Sparset reapse magni sæpe momenti, in locis referendis imposturas, mutans exempli causâ non posset in non potest, & alia hujusmodi. Comparavit aliquando Verus Testamentum *magne Comedie*. (b) Propositiones erroneæ, aut graviter suspectæ colligi ex ejusdem libris plenis possent modiis. Accidit tamen, ut in solis 5. ex majori ejus volumine excerptis omnium errorum summa, & caput conclusa intelligerentur. In primâ asseruit: *Aliqua DEI præcepta* (c) *hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentia, quas habent, vires esse impossibilia; deesse quoque illis gratiam, quâ possibilia fiant*. Vidimus supra, fuisse hoc Lutheri, & Calvini principium, & à Bajo denuo in scenam adductum. In alterâ asseruit: *Interiori* (d) *gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti*. Etiam hoc dogma Calvini erat, qui contra ipsam usque adeo Tridentinam Synodum, quæ contrarium definierat, id se tueri prætendebat, affirmans itidem: (e) *motum Spiritûs Sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat*. Atque hoc etiam sensui communi repugnat, cum in se ipso quisque expertus sit, quàm sæpe internis inspirationibus non assentiamur, sed primum pendemus animi, deinde resistimus. Tercio asseruit: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri in homine libertatem à necessitate, sed sufficere libertatem à coactione*. (f) Sæpius proinde ingeminat: *stare simul libertatem cum necessitate peccandi, & cum hac pariter rectè agendi facultatem, quia gratia suavitè necessitat*. Paradoxi hujus, cui tot Novatorum incumbunt machinæ, quòdque infimâ etiam de plebe homini, si evolvatur, risum movebit, Author fuit Lutherus, cum in lib. *de serv. Arb. operari necessario ab operari coactè* distinxit. (g) Amplexus hoc ipsum fuit Calvinus, idemque, ut vidimus, conceptissimis denuo verbis occinuit Bajus. Asseruit porro Jansenius: *Semipelagianos admisisse* (h) *prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc fuisse hæreticos, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*. Prior hujus pars falsi statim postulabitur ab homine hisce studiis vel leviter tincto. Pars altera eundem iterum, quem 2da propositio, errorem obrudit, à Calvino etiam in Institutionibus traditum. Demum asseruit Jansenius: *Semipelagianum esse* (i) *dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Idem omnino eructaverant hæreticorum principes, Sacris Literis apertè obstrepentes.

(a) pag. 123. (b) de Grat. falv. Tom. 3. c. 1. *nihil aliud fuisse Testamentum illud perspicuum est, quàm magnam quandam comediam &c.* (c) in suo Augustino, T. 3. l. 3. c. 13. (d) vid. T. 3. l. 2. c. 24, 25, 29, & T. 3. l. 3. c. 1. (e) in Anrid. cap. 6. (f) vid. T. 3. l. 6. c. 6. & l. 8. c. 19. (g) *sequitur necessario nos operari; necessario dico, non coactè*. (h) vid. T. 1. l. 8. c. 6, 7, 8, 15 &c. (i) T. 3. l. 3. c. 12.



damna-  
tur.

non vi-  
detur ab  
Ecclesia  
alienus.

6. OMNES hi errores erant jamtum à Concilio Tridentino anathemate perculli, quia reapse aliud non sunt, quàm crambe bis cocta. Sparsa iterum pestifera hæc semina librique in vulgus emissi adegerunt summos Pontifices, ut præmissio novo, atque diligente examine iterum Apostolico eos fulmine ustularent; idque tanto magis, quod Clerus Gallicanus, qui rectæ semper fidei, sanæque ac profundæ doctrinæ exemplum fuit, id eos iterum iterumque rogaret. Præcipue quando anno 1653. Episcopi 85, Viri nimirum & virtute, & scientiâ toto regno celeberrimi communi suffragio de novis hisce zizaniis Papam reddidère certiores, flagitantes, ut præsentî illis remedio occurreret. Missa igitur fuere ad universum gregem Catholicum Decreta solennia, promptissimoque animo ab Ecclesiis Catholicis admittenda. Notari hic meretur, pari ea veneratione ab ipso etiâ admittenda fuisse Jansenio, quippe qui sese submisisset ex animo, erroresque suos & falsus, & execratus esset, si fuisset eâ tempestate superstes. Persuadere de isto hæc sibi debet, quisquis declarare cum nolet omnium mortalium consceleratissimum, mendacissimum, summumque impostorem. Audiantur enim, quæ eodem ipse libro loquitur: (a) *Mihi enim, inquit, constitutum est, eandem, quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum, ad extremum spiritum usque, ducem sequi Romanam Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romanâ sede Successorem. Super illam petram edificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quicquid ab istâ Petri cathedra, in cuius communione à teneris vixi, & porro vivere, & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum Successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ universæ Capite, & Moderatore, Pontifice, præscriptum fuerit, hoc teneo; quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo. An clariorem unquam, aut validiorem quis vidit contestationem? Post hoc exemplum, post hanc doctrinam, qui fieri possit, ut Bullas, & præcipue postremam hanc eorum quis repudiet, qui hujus se signa sequi profitentur.*

NEC juvat dicere, aliud præ se tulisse hominem, atque ex animo locutum non esse; quandoquidem & Wiclefus, & Lutherus, & Calvinus magna submissionis signa erga summos Pontifices ediderint ad tempus. Cùmque totus Jansenii liber ex fraudibus technisque confusus sit, adscribi ejusmodi declarationem debere desiderio & spei fucum hominibus faciendi, quò facilius approbationem ex Urbe eliceret. Profectò ex unâ quidem parte possibile non videtur, retexere has opiniones potuisse illum, qui tanto eas labore, tantoque studio promoverat, quique post Pii Vi & Gregorii tertii decimi fulmina, solenniâque Edicta Bajum vindicandum susceperat. Alterâ tamen ex parte nefas videtur in dubium revocare sinceritatem, candidumque illius animum, qui tam solenniter, qui tam sanctè, & toties declaravit, qui, ut toti orbi innotesceret, suâ ipse manu scripsit, promptum paratûmque se fore ad subscribendum huic dogmati, simul ac hujusmodi esse definiretur à Pontifice. Appellavit Ecclesiam Romanam *omnium* (b) *Matrem, & Magistram*. Appellavit (c) *Columnam veritatis*. Commentarios suos de gratiâ clausit in hæc verba: (d) *Et ista sunt, quæ de gratiâ &c. cujus quidem Ecclesiæ, & universalis ejus Pastoris, Romani Pontificis, judicio, ac censuræ, quidquid hæc de re, vel alia quâcumque hætenus scripsi, vel porro in posterum scripturus sum, toto corde ac sincerâ mente subjicio. Sub finem voluminis concludit in hunc modum: Quicquid de rebus tam arduis juxta S. Doctorem mentem pronuntiavi, ex Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris meæ judicio, sententiâque suspendo; ut illud jam nunc teneam, si tenendum; revocem, si revocandum; damnem & anathematizem, si dammandum, & anathematizandum esse judicaverit. Videtur evidens, dubitasse illum vehementer de veritate, deque sensu Catholico eorum, quæ partium abreptus studio, ingenique subtilitati & aliorum instigationibus sese permittens scriptitaverat:*

(a) T. 2. l. 1. c. 29. (b) Tom. 2. in Proœm. (c) c. 23. (d) T. 3. l. 4.

fatis



facis tamen faciebat Synderesi, quòd his in controversiis se Ecclesiæ staturum iudicio pollicitus, ad hujus sese pedes totum abjiceret. Advertant hic, qui, *Non probat ad Concilium.* quæ perperam, non quæ rectè gessit, imitantur, haud existimasse ipsum ad definitionem Concilio opus esse Oecumenico; Advertant in ipsis supremis tabulis, quas morituriens confecit, de autographo à se relicto declarationem sequentem: *Si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in quâ semper vixi usque ad hunc lectum mortis obediens sum.*

7. NIHIL tamen hæc omnia aut ad illustrandos, aut ad pacandos ejus sectatores attulere momenti, cum vehementius multò, quàm antè conjurati insurgent. Ductoris post ipsum munus gessit Antonius Arnaldus, etiam ipse Sancyrani Discipulus. Varios conscripsit libros, ad quos focii suam quoque symbolam perhibentur contulisse; quibus sæpe multa præclara continentur, nisi, pravis ubique, quod dolenter referimus, essent dictaminibus inquinata. Sorbona suffragantibus 130 Doctoribus in aliquas ejus propositiones censuram tulit, ratamque deinceps habuit earum proscriptionem. Substitit diu in recessu portus regalis, ac tandem regnò debuit excedere. Ex propositionibus 31 ab Alexandro VIII anno 1690 confixis, quædam excerptæ fuerunt ex illius commentariolis. Harum de numero sunt: 1. *Sufficere illam libertatem, quâ voluntarium, ac liberum fuit in causâ, hoc est in Adamo.* Jure equidem risum moveant ejusmodi paradoxa: pro miris tamen rebus, atque insolitis venditabantur ab iis, qui populum sibi demerebantur, ubique gentium jactitantes, solos illos Divinum confectos ingenium, solos illos pulchra loqui, solos polere stylo, & præclare scribere Gallicè, atque, ut verbò dicam, longò ceteros mortales intervallò anteire. Altera propositio erat: *tamen si (a) detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hanc tamen in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusare à peccato formali.* Quâ propositione defendi possent Janseii, & Baji dicta; mereri nimirum, & demereri hominem, etiam cum necessariò operatur. Obrulisse se Christum *pro omnibus, & solis fidelibus.* (b) Ità Janseii t. 1. l. 2. c. 21. *Christus, inquit, pro infidelium in infidelitate morientium, aut justorum non perseverantium æterna salute mortuus non est &c. imò non magis pro æternâ liberatione eorum, quàm pro diaboli deprecatus est.* Alia propositio erat: *quod Pagani, Judei, hæretici, alique hujus generis nullum omnino accipiant à JESU Christo influxum... gratiæ sufficientis.* (c) Alia item, quod *gratia sufficiens statui nostro non tam utilis sit, quàm perniciosa.* (d) Cum dicebat 7<sup>ma</sup>: *omnem humanam actionem deliberatam esse DEI dilectionem, vel mundi,* item 8<sup>va</sup>: *necesse esse infidelem in omni opere peccare, recocti, denuòque obtrusi fuere errores superius recitati. Idem esto judicium de eò, quod dicat: (e) peccare, qui odio habet peccatum, merè ob epus turpitudinem, & disconvenientiam cum naturâ; intentionem, quâ (f) quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut Cælestem obtineat gloriam, non esse rectam, nec DEO placentem. Omne, quod non est ex fide Christianâ supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum esse. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficere etiam fidem; timorem gebennæ, & attritionem, quæ... concipitur sine dilectione benevolentia DEI propter se; non esse bonum motum, ac supernaturalem. Quæ omnia exotica dogmata etiam à Tridentino Concilio aut disertè, aut subobscurè saltem atque implicite erant damnata. Neque obiter tantum observari inter ea meretur propositio, quam subjicio: (g) *Arcendi sunt à sacra Communionem, quibus nondum inest amor DEI purissimus, & omnis mixtionis expers; quâ lege S. hoc mysterium jubetur exulare. Quotusquisque enim erit mortalium, cui non quædam labecula, aut aliquis ad terrena affectus adhaereat? Ibidem etiam docetur, non impertire prius sacerdotem peccatorum debere veniam, quàm effectui datum sit, quod pœnæ fuerat nomine injunctum.**

(a) prop. 2. (b) prop. 4. (c) prop. 5. (d) prop. 6. (e) (f) &c. vid. propos. 9, 10, 11, 12, 14, 15. (g) prop. 23.



Invertere rerum ordinem, qui secus facerent, morémque diversum qui in Ecclesiam jam dudum invecus, receptusque fuisset, non esse nisi abusum. Passim porro hoc locò contenditur factas viris religiosis, ac præsertim mendicantibus confessiones invalidas esse, atque sacrilegas. Afferitur etiam ibidem hominem, utrum baptismo lustratum, toto tamen vitæ suæ tempore peccatum originis flere debere. Applausit totus Christianus orbis solenni opinionum adeò ab Institutò Catholicò alienarum proscriptioni, paucis duntaxat eorum exceptis, qui aut eòdem de grege erant, aut Janseniano leviter felle aspersi.

*Succedit  
Quesnellus.*

8. A morte Arnaldi supremum gessit Magistratum Paschasius Quesnellus ejusdem quondam discipulus. Is adhuc Junior ob novitates has anno 1683. Congregatione cui nomen dederat, atque ipso demum regno debuit excedere. Ad editionem S. Leonis plenas periculi dissertationes attexit. Jacturà porro nunquam sat deplorandà corripuit in Hollandia Catholicos illos, & Clerum, à quibus notæ illæ novitates deinceps fuerunt prognatæ. Adscitâ deinde sibi aliâ veste, & nomine, Flandriam pervagatus, longò tempore homines ad turbas miris artibus concitabat. Pòst plures sàtyras, & spectantia ad seditionem folia in vulgus emittebat. Pupugit hominem acriter memoratarum paulo ante 31. propositionum confixio, tuendâsque eas suscepit, dicens: *Romanum tribunal videri esse latronum latibulum*, Censoresque Romanos esse homines imperitos, sibi soli, suisque veram scientiam esse reservatam. Senatus Montensis per carnificem flammis tradi jussit aliquem ex ejus libellis. Vulgavit idem epistolam indignam adversus æquissimum Decretum Papæ, Regis Galliarum, & Parisini Archiepiscopi. Porro fucatis librorum inscriptionibus fingebat, Romanæ se causam agere Ecclesiæ, libris contrà eò collineantibus, ut persuaderent populo, nihil ea habere roboris, quæ Romæ decernuntur. In vincula deinde ab Archiepiscopo Mechliniensi conjectus, è carcere dilapsus in Hollandiam aufugit, ubi reliquam vitam egit, & clausit. *Ex Observationibus Moralibus in novum Testamentum* excerptæ sunt propositiones, ob quarum damnationem tanti nihilominus strepitus ciuntur. Nomen diligenter celavit Author, quò facilius in fraudem impelleret incautos, neque in sinistram opinionem sententias suas adduceret apud Catholicos, qui probe nòrant, Janseniani illum agminis Ducem esse. Libelli hi cùm admodum sint artificiosi, plenique simulationis, neque ullam dogmatici, sed ascetici potius opusculi speciem præ se ferant, sinè sufficiente primùm examine probati fuere à pluribus Censoribus, diligenterque conquisiti non sinè gravi Galliarum, aliorumque regnorum damnò. Tandem major quibusdam de iis injectus est scrupulus: Nonnulli etiam Episcopi suâ illos in Ditecesi prohibuere, fuerêque toti in eò ut orthodoxos de periculo commonerent. Unus illorum, qui Censorum minùs perspicacium fide adductus eos primùm probaverat, cepit declarare (\*) *puros, & apertos Jansenii errores in libro contineri*. Ita fecit celebris Bossuetus. Tumultu porro magis magisque increbrescente Clemens XI Pont. M. unanimi eorum, quos hoc ad examen convocaverat, calculo dixit libro anathema; prohibuitque ejus lectionem, declarans in diplomate suo ad annum 1708 edito, quàm vitiosa primùm perversaque sit exhibita in eo Novi Testamenti versio, quàm in multis consentiens condemnatæ olim portoregalinæ, quàm longè à vulgatâ, atque authenticâ devians; quàm fraudulentæ item & malignæ sint observationes, quæ sub specie pietatis aliò planè abducunt, scatentque propositionibus seditiosis, sæpe rejec-tis, & *heresi Jansenianam manifestè sapientibus*. Plura post hæc evenere, quibus commotus Ludovicus XIV, Magnus, gloriosæque semper memoriæ rex, ut finem fortirentur turbulentæ quædam Parisiis concertationes, recurrit ad Pontificem rogans, ut novam, minutamque operum illorum disquisitionem institueret, & solenniori, si quidem res ità postularet, & præcisâ magis formâ prava dogmata opinionésque non Catholicas damnatum iret. Assensit Beatissi-

*Doctrina  
ejus mo-  
vet suspi-  
cionem.*

*Damna-  
tur.*

(\*) vid. Caus. Quesn.



mus Pater, præmissis quoque prolixo & suo, & multorum Cardinalium, Theologorum item & Consultorum studio, imploratò quoque Spiritu Sanctò, pluribusque quas fudit ipse, fundique ab aliis, ut Romæ constat, voluit precibus, Constitutionem unà cum 101 propositionum illis libris contentarum damnatione publicavit; damnatione inquam, quam universa amplexa fuit Ecclesia, sique paucissimos Episcopos, sectæque affectas excipias, in Galliam non minùs, quàm in cæteris omnibus regionibus Episcoporum chorus, & maxima pars cujusvis demum conditionis hominum communi plausu fuit prosecuta.

9. ADVERTAT hic, quisquis amore veritatis, rationèque ducitur, quàm iniquæ sint oportet accusationes illæ, quàmque vanæ, quæ contra Bullam *Unigenitus* fiunt, querelæ. Quandoquidem ex dictis sole meridiano clariùs elucet, nihil omnino novi damnatum in iis esse, opinionèsque & dogmata his in propositionibus contenta profligata jamtum, atque anathemate percussa manifestè fuisse à Concilio Tridentino, à diversis summis Pontificibus, ab Academicis, idque millies, atque millies. Dignissimum porro animadversione est, in Quenellianis observationibus nihil planè inveniri, quod ab ipsà Academià Parisinà notatum jam pridem, atque rejectum non fuerit. Nil attinet prolixè hoc loco exponere Acta plurium Sæculorum, quando notum est Sorbonam hóc ipso ex capite à Calvino appellatam fuisse Pelagianam. Videantur modò quæ contra Baji, & Jansenii dogmata non semel Facultas Theologica decreverit. Contra Arnaldum cùm recudit censuram, voluit ut eidem omnes, qui quidem ad gradum Academicum adspirant, deinceps subscribant.

10. QUI seriò conantur plebem ad communem seditionem, variis artibus concitare, vociferantur, tantam propositionum copiam animi potius impotentiam, quàm veritatem indigitare. De cætero, opus istud conflatum, compactumque totum est ex pestifera doctrina, malitiæque artificiosè obvoluta. Constat Parisiis, cùm anno 1694 excutiendum id sibi sumpserat Doctor quidam Sorbonicus, non pauciores illum, quàm 199 indè excerptisse propositiones, quas erroneas judicavit, & dignas Censurâ. Antiquioribus equidem hæreticis qui falsâ affirmatione aut negatione dogma quoddam impugnatum ibant, obmovere obicem, remediòque præsentì occurrere in primis Conciliis facilè poterat Ecclesia, jubendo duntaxat, ut plenam, perspicuamque fidei professionem emitterent: At contra eos, qui multa conflarunt sophismata, easque attingere materias, in quibus mille modis disseminari error potest, necessarium duxit eorum loquendi modum sigillatim expendere, Christianorum collustrare animos, fraudisque monere, notatis omnibus iis formulis quæ quâdam forent ratione vitiosæ.

Sexto fluente Sæculo VI<sup>ta</sup> Oecumenica Synodus 15 Origenis, aut ejus Sectatorum propositiones anathemate perculit; multas itidem, eruit Justinianus Imperator scripto adversus has opiniones Opusculo. In Synodo Londinensi adversus Wiclefium ab Archiepiscopo Cantuariensi Angliæ Primatè habitâ (a) ad annum 1382, decem conclusiones damnatæ fuerunt ut hæreticæ, & 14 ut erroneæ. At ipsiusmet consuetudinis, quæ etiamnum viget, exemplum maxime illustre editum fuit in Concilio Constantiensi contra eundem Wiclefium. 45 ejus articuli (hoc est, excerptæ ex ejusdem Scriptis propositiones) propofici fuerunt in Sess. 8<sup>va</sup>, & reprobati; maxime cùm quibusdam *examinatis* fuerit *reperitum*, aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, alios non Catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos, quosdam *piarum aurium offensivos*, nonnullos eorum *temerarios*, & *seditiosos* (b). Non opportunum judicavit Concilium concertationibus Scholasticis, locum dare prolixâ declaratione, quot, & quanam censuræ, modificationesque cuique propositioni conveniant: quandoquidem nôsse orthodoxis sufficeret, nullam non pravam esse, & vitandam. Hinc liquet, quàm historiæ, rerumque Ecclesiasticarum gnari

(a) vid. Conc. Ven. Tom. 6. & Tom. 15. c. 591. (b) Conc. Tom. 16. c. 122.



sint, qui modum in ultimâ Bullâ adhibitum (in pluribus enim usurpatum fuisse ignorant) novum esse atque ante hunc diem inauditum tanto cum strepitu declamant. Verum cum in reliquis Wiclei libris aliæ etiam propositiones se proderent (*quarum* (a) *aliquæ cum supradictis in sententia coincidunt; licet non in eadem forma verborum*, novosque alios errores continent) earumque 260 usque adeo censurâ affectas Oxoniensis Academia Doctores & Magistri, Pontifici denunciaissent, Concilium censuram ratam habuit, illasque iidem reprobavit, tamen non recitatas. Propositiones Bajanae erant numero novem & septuaginta; atque eodem prorsus modo, variis notis affectæ.

Sensus  
Bullæ.

II. JAM verò, quid est amabo, quod promulgent, non posse libellos tam exiguae molis tot in se hæreses complecti? Non asserit Constitutio propositiones singulas esse hæreticas; neque singulas diversum errorem includere. Verum cum inter ceteros Quesnelli dolos etiam is fuerit, ut vel idem planè, vel saltem quod eodem tenderet, diversis sæpe modis efferret, quorum ita recti nonnulli erant, ut faciliè tanquam religionis dictamina sese possent in animos insinuare, necessum erat indigitare singulos, nè imperitæ plebeculæ fraudi essent. Prospectum ipsi oportuit exemplo Concilii Tridentini (b) *adversus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*. Mirum erat fraudis genus, quod illis semper uterentur loquendi formulis, quæ primo quidem aspectu à phrasi Patrum & Scripturæ parum admodum videbantur discrepare; quid? quod tales etiam interdum adhibeant, quæ secundum se spectatæ, in bonam accipi partem possent, eoque modo in aliis acciperentur. Atque hoc erat illud, de quo tantopere tumultuabantur homines turbulenti, indocti, mulierculi, & plebi persuadentes, damnatam esse doctrinam sanam, Ecclesiæque calculo quondam comprobata; idque eò facilius, quod in hac perinde materiâ, ac in philosophiâ morum evenire solet, ut non occurrentibus hic abstrusis, sonus exoticisque, cuiusmodi in aliis scientiis sunt, sed communibus potius atque apud omnes usitatis vocibus, quivis faciliè sibi persuadeat, earum sese vim ac sensum perfectè assequi; tamen secus longè se res habeat. Qui non insignis est Theologus, qui errorum prius disseminatorum cognitionem non habet, qui affinitatem, quam unæ propositiones cum aliis hæreticis habent, non perspicit, qui sensum genuinum hominibus duntaxat eo in argumento multum versatis, probèque exercitatis occurrentem, non considerat qui amabo intelligere, qui in huiusmodi controversia ferre poterit sententiam? Faciliè equidem veniam meretur, qui primo intuitu de propositione addubitat; secus ille, qui eo in casu de dubio sibi eximendo non adit hominem eruditum, atque exercitatum. Parum sanè in historiâ Ecclesiasticâ versatus est, parum pervestigavit omnium Sæculorum disputationes Theologicas, qui easdem sæpe voces, immo easdem etiam propositiones, si verba spectes, modò ab Ecclesiâ admissas, modò rejectas ignorat, pro vario nempe sensu, quem sortiebantur à proferente. Atque ut necessum non sit multa hic exempla ad pompam congerere, sufficiet observare ea, quæ in hac potissimum materiâ ex S. Augustino, & causa Pelagiana discimus. Dicta Pelagii, quæ in speciem quidem reprehensione carebant, vitiosa tamen erant, & damnabantur; quia constabat quæ ipse sensa hoc sub regimine occultaret. Exemplo esse possent loca aliqua, quæ sub unum conspectum dedit Ven. Beda, & confutavit. Quæ possit amabo propositio esse præclarior, quam cum dicitur: *Gratia adjuvare uniuscujusque bonum propositum. Hoc sine scrupulo acciperetur Catholicè, si non in bono proposito meritum ponerent* &c. (c) & tamen dictum hoc probabatur ab Augustino in Catholicis; rejiciebatur contra in Pelagianis: Sciebat enim ab ipsis intelligi, quod bonum in ipsis sit propositum sine gratiæ adiutorio: Pelagius aperte anathema dicebat, credenti: (d) *gratiam DEI, quâ Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singu-*

Hæreticorum  
Fraus

(a) c. 123. (b) Sess. 6. c. 13. (c) ad Bonif. I. 4. n. 13. (d) de grat. Chr. n. 2.



las horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam. Ad hæc Augustinus: (a) *Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat, quem in libris suis satis evidenter expressit &c. omnino eum putat hoc sentire, quod veritas habet: quisquis autem quid in eis apertius dicat, advertit, debet habere etiam ista verba suspecta.* Adeo quippe versuta erat, & callida illorum loquendi ratio ut hæc ipsi etiam sancto Præsuli vix non fuerit impositum. Fateor (b) inquit, *cum ista legerem, letitia repente perfusus sum, quod DEI gratiam non negaret.* Sed advertit postmodum, non nisi ad fucum faciendum omnia hæc pertinere. Videte, inquit alio in loco (c) *videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita ut etiam nos, cum primum ea legimus, recta, vel correctâ propemodum gauderemus.* Eodem libro, *Quis crederet, ait (d) sub hac quasi manifestâ confessione sensum latere contrarium?*

DISCAMUS hinc, an cujusque sit in hujusmodi rebus ex propria sententia non a quo-  
ferre judicium? an item is, qui in id genus studiis multum operæ nunquam vis agnos-  
posuit, idoneus sit ad agnoscendas declinandasque insidias? Jactitant nonnul-  
las Quesnelli propositiones convenire ferme, immo planè consonare cum SS. *ciur.*  
Patrum effatis, plenaque pietatis, omnisque religionis sensa in se complecti. Atenim quæ Assertio magis esse possit Catholica, quæ sancta magis, quam hæc: *Deus est unus?* & tamen in Ariani, in Sabelliani, in Manetis discipuli ore evadit hæretica, cum confiteri significare eos per hoc velle *non esse trinum in personis*: quapropter ab homine hæc in re suspecto jure exigeretur, ut & unum, & aliud exprimeret. Quanto æquius igitur id fiet in re præsentī, ubi innumera propositiones bifariam intelligi, facileque confundi inter se possunt non facere, & non posse facere; extollere gratiam, & negare arbitrium, asserere omnipotentiam Divinam, & evertere, quæ ipse vult, ut fiant ab homine adeo quidem, ut sæpenumero possibile non sit dicti alicujus intentionem tuto detegere, nisi collatâ inter se doctrinâ, opinionumque, quæ aliunde colliguntur, adjunctâ noticiâ. Atque inde est, quod D. Augustinus, quò se contra Pelagii insidias tutum præstaret, quasdam colligârū propositiones, quas profiteri deberet, & declarare, se tueri, idque *citra ambages, verborumque integumenta* (e) si quidem Catholicus haberi cuperet.

12. QUID porro dicemus de imposturis tanto undique studio dispersis, non alio consilio, quam ut Bulla omnibus reddatur execrabilis; adducanturque rudi-  
Bulla in  
odum vo-  
catur.  
diores ut credant, contineri errores adversus fidem in illo ipso Decretò, quod inter fidei Canones reponere, quoque doceri debuerant, omnes eas propo-  
sitiones in sensu ab Authore intentò quâdam esse ratione vitiosas. Vociferantur, deprimi à Bullâ Divinam gratiam, ejusque virtutem, quando extollere illam nemo altiùs potest, quam qui genuini circa ipsam dogmatis depravatores condemnat. At Iprenses focii, dum sub specie deprædicandæ magis gratiæ pestiferum errorem propinant, planè imitantur Pelagianos, qui ut peccatum originis abolerent, ita animi commotiones depingebant, ac si illæ forent unicè ad salvandam perfectionem Divinorum operum, atque ut debitæ ipsis laudi nemo præjudicaret. Unde Augustinus hæc tanta perversitas, inquebat, &c. *insinuare se nititur cordibus parum intelligentium laude operum Divinorum, hoc est laude naturæ humanæ, laude seminis, laude nuptiarum &c.* Cætera qui ignorat è Christianâ credit pietate proficisci qualemcumque Divinæ illius gratiæ exaltationem, cui omnia in acceptis abs dubio referimus. Verùm, qui hebetiore sunt ingenio judicare non possunt, quando id ita fiat, ut eligendi subruatur facultas, Deusque O. M. author reddatur peccati. Non omnes ita acutum vident, ut discernant, quando ita prædicetur gratia operari omnia, ut quivis facile inducatur, ad indulgendum orio, omnemque de salute æternâ deponen-

(a) ibid. (b) de nat. & gr. n. 12. (c) de gr. Chr. n. 20. (d) n. 36. (e) ep. 186. n. 33. *hec omnia simpliciter sine ullis fateantur ambagibus.*



dam sollicitudinem: planè quasi ad eam acquirendam nihil à nobis oporteret conferri operæ, omniaque ex solâ illâ omnipotente penderent gratiâ, quam Deus cui vult, dilargitur.

MIRUM itidem fuit artificium, quod divulgârint damnatas in Bullâ esse Scholarum recentiorum, earumque insignium sententias de prædestinatione gratuitâ, & gratiâ efficace. Crassius nunquam procusum fuit mendacium; siquidem Decretum hoc nequaquam eas spectat sententias, quæ à summis Pontificibus ut Catholicæ admittæ fuerant, & dilaudatæ. Fidem facere poterit editum eam in rem Breve Benedicti tertii decimi, sanctæ memoriæ. De quo ut planè convincantur, admittant modò sectarii, quidquid docetur à Constitutione, doctrinis interim de prædestinatione gratuitâ, & gratiâ efficaci se adhærere protestentur. Videbunt certè à S. Sede, totòque orbe Catholico se continuo amplexandos, fratrumque in loco habendos.

NEQUITER spargitur Jansenianas opiniones consentire cum Thomisticis. Notare sufficiat, quantum ab eâ Scholâ alienus fuerit Jansenius. En tibi quæ scripsit: *Qui medicinalem, inquit (a), Christi gratiam sic defendere conantur, ut eam in Prædeterminationem physicam transformant &c. magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt: nam talis prædestinatio sic asserta non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam ejus doctrinam innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat.* Quid loquemur porro de injuriis, & sarcasmis, quos Arnaldus, Quesnellus, & alii conjecere sæpenumero in gratiam sufficientem Thomisticam? inque eruditos illius familiæ scriptores? Hoc non obstante ad concitandas turbas decantatur jam ubique terrarum, Thomistas offenso animo accepisse condemnationem Quesnelli. Idem de Augustinianis dictum esto. Advertunt satis fortasse sectarii, quantum re verâ Augustinianorum dogma ipsis adverfetur, ideòque, quantumvis etiam in Augustini se verba jurare simularent, temperare tamen quandoque non potuerunt sibi, quòminus debitam ipsi venerationem tantisper seponerent. Coryphæorum aliquis, qui Ægidii Candidi sibi nomen vindicaverat, de quibusdam Sancti locis admodum contemptim & abjectè loquitur, affirmans: (b) *aliquando aut minus cautè, aut minus clarè loquutum*; eoque temeritatis progreditur, ut afferat Augustinum Iprensensem, qui nullo unquam verbo lapsus esset, antefendum esse Hipponensi. Cum magno pariter despectu de ipso disputat compiler *novæ Bibliothecæ Script. Ecclesiast.*, affirmans inter cætera, solenne ipsi fuisse procul abire ab aliis, atque à Majorum semita deviare; quod quantum spectato dogmate à verò alienum sit, suò locò demonstrabimus. Ipse etiam Jansenius interdum parum honorificè de eo locutus est, e. c. cum dicit: *emendasse se id, quod incautiùs fuderat.* Catholici contrà in eò deprædicandò omnes mirificè consonant, vanúsque omnino, & commentitijs est triumphus ille, quem ob ferventes inter Catholica Gymnasia controversias, illorùmque inter se discrepantes sententias sibi occinendum jactitant schismatici. Siquidem de rei summâ omnes conveniunt, neque circa substantiam, sed modum duntaxat discordant.

QUICUNQUE ad rem hanc penitus inspiciendam appulerit animum, indè potissimum diversitatem enasci advertet, quod uni majore caveant religione, ne quis credat, provenire unquam bonum, nisi à Deo; alii contrà, nè quis credat, peccare unquam hominem nisi propriâ culpâ. Consilium ex æquò sanctum, & in quo denique & uni & alii conspirant, viis nempe diversis ad metam eandem collineantes. *Alia sunt docet Aug. in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores salvâ fidei communi non consonant.*

(a) Janf. tom. 3. l. 8. c. 2. (b) Aug. Ipr. vind. pag. 373. *nam Augustinus Hipponensis &c. aliquando aut minus cautè, aut minus clarè loquutus est &c. Jansenius nullo modo.*



VERUM quid opus mirari, quod ad elevandam Bullæ fidem spargatur in vulgus, contrariari illam Divis Augustino, & Thomæ? nonne insuper cum strepitu divulgatur, nonne librorum tabernæ, nonne fora personant, quod destruantur in illâ DEI amor, reprobeturque is, qui hunc ad salutem existimat necessarium? Itâ nempe exploditur illa usque adeo à quodam literatò; sic in epigrammatis satyricis; sic in cantiunculis traducitur. Jam verò, qui potest homo ingenuus ejusmodi mendaciis, atque indignis adeo imposturis dare manus? quisquamne sibi persuadeat certæ religioni sese mancipasse eos, qui tot dolis ludunt, produntque hominum animos? Alexander VII, Innoc. XI, & Alex. VIII diserte proscripserunt propositiones complures, quæ præjudicare quodam modo poterant debito, quod omnibus incumbit summum bonum toto animo diligendi. Nihil ex mente Pontificum tam operosè inculcatur, quàm DEI amor, ejusque necessitas. Jam verò contenditur; declaratum illum fuisse à summo Pontifice supervacaneum; propterea quod damnet illum, qui docuit, teneri hominem ad operandum semper ex puro amore; omnem item actionem bonam, & sanctam, esse peccatum grave, nisi unicè ex hac pullulet radice, quin & peccaminosum fore omnem actum amoris Divini, nisi à Caritate supernaturali, atque infusâ proficiatur; & plura ejusmodi paradoxa; quæ omni etiam humano repugnant ratiocinio, & reapse ad extinguendum amorem Divinum collinant; propterea quod eundem reddant impossibilem, respuantque dispositiones illas, atque actus, quorum ope eundem nobis acquirimus, & augemus. Demum quia illum privant, spoliantque aliarum virtutum auxilio, & comitatu.

13. MAXIMA tamen Sectariorum vis, & machinatio in eò consistit, ut vulgo persuadeant, Bullam hanc rectè oppositam esse S. Augustino; atque ipsius usque adeo doctrinam in thesibus proscriptis reprobari. Hoc nimirum est consuetum eorum perfugium, qui in hujusmodi rebus à viâ aberrant. Jactitabat Wiclefus totum à se stare Augustinum. Lutherus ad Erasnum scribebat (a) *Augustinus, quem præteris, totus meus est.* Calvinus de Prædest. *Augustinus adeo totus noster est.* Bajus identidem repetebat, se semper, atque ex animo facere cum Augustino. Jansenius librum suum inscripsit *Augustinum*. Nomen, quo se idiomate suo appellant Janseniani, aliud non est, quàm *discipulorum Sti Augustini*. Quâ verò injuriâ, quâ fraude, & quanto errore, intelliget is, qui non gravabitur volumen hoc pervolvere. Præterquam tamen, quod perperam sæpe intelligatur, & corrumpatur, non est prætermittendum hoc loco, errorem pariter esse, si insigni huic Ecclesiæ Doctori eandem quis infallibilitatem, atque impeccantiam tribueret, quam neque ulli sanctorum Patrum adjudicamus; neque ipse sibi arrogabat Augustinus. Cum Lutherus, & Calvinus solo admissio Augustino, cæteros Patres omnes ceu Pelagianos respuit, cum Jansenius suo cum grege affirmat: *est instar omnium, supra omnes* &c. (b) cumque in uno illo sanam deprehendi doctrinam contendunt, maxime in ipsum sunt injurii; quippe qui traditionem se sequi pluribus in locis professus est; Cùmque præcisè Pontificiis Decretis ejus opiniones in re fidei anteferendas volunt, videant amabo quæ hanc in rem constituerit Doctor Angelicus. Is cum retulisset regulam *de deferendâ omni ad Pontificem controversiâ fidei*, subjungit: (c) *Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam Sententiam defendit.* Condemnatarum 31 Propositionum postrema hæc fuit: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.* Non adverterunt hi boni, quod dum ipsum hoc modo extollunt, eundem rectâ impugnent. Scripsit ipse ad Fortunatianum hæc verba: (d) *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum,*

*Omnes se Augustini discipulos jactant,*

*qui tamen ipse se erroris agnoscit obnoxium.*

(a) Luth. de Serv. arb. (b) in Proœm. (c) S. Th. II, 2. q. 11. a. 2. ad 3. (d) epist. 148. n. 15. mihi III.



*Et laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, . . . talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Quam demissè de se senserit, ostendit in lib. de verà relig. his verbis: (a) Quæ vera, esse perspexeris, tene, & Ecclesiæ Catholicæ tribue, quæ falsa respue! Et mihi, qui homo sum, ignosce: quæ dubia crede; donec aut respuenda esse, aut vera, quæ semper credenda vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. At nunquam contigit, ut magnus hic Sanctus raro suo ingenio à fide orthodoxâ vel tantillum deflueret. Atque inde est, quod dixerit Joannes II. epist. 3. Hujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesiæ. Sed quid demum causæ est, cur Lutherus & Calvinus, cur omnes eorum posterii licet diversæ speciei his in rebus unum adducant, seque amplecti fateantur Augustinum? Si unus ille, atque irrefragabilis habendus Magister est, quid est, quod non omnibus subscribant dogmatis, atque Institutionibus Catholicis, quas ipse inter ceteros Patres tam disertè proficitur? Quid est, quod Sectarii, qui Catholicum, Augustinianumque præ se nomen ferunt, non se submittant authoritati Ecclesiæ, ejusque supremo capiti, quando id tot locis docuit, fierique præcepit Augustinus? Exploratum est, causam ipsum existimasse absolutam, cum suam de eâ sedes Apostolica sententiam ferebat. Pelagianis, qui irritati anathemate Cælum terramque miscebant, ora obturavit his verbis: (b) Jam enim de hac causâ duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt: causa finita est. Ad Julianum identidem obstrepentem, quid adhuc (c) inquit, quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam sedem? Lepidum sanè est, audire quosdam in re præsentî, doctrinam Augustini omni reprehensione superiorem, vel ex eò afferentes quod à duobus commendata fuerit Pontificibus; & nolle eosdem authenticam agnoscere proscriptionem illarum opinionum, quæ anathemate percussæ fuerunt à quinque! Qui porro cum ipsius dogmate consonat nonnullorum vox, quod repudiatio Bullæ, tamen à pluribus Episcopis admixtæ, Schisma sit parvi momenti? Atqui fores (d) inquit S. Doctor, foris ab Ecclesiâ constitutus, & separatus à compage unitatis, & vinculo Charitatis, æternò supplicio puniveris, etiamsi pro Christi nomine vitæ incendideris. Alibi notat (e) quod Idololatrias . . . in populo DEI gladius interemerit, Schismaticos autem terræ hiatus absorberit.*

14. QUIS porro Patrem hunc honorandi modus, si in paucissimis suis scriptis ipsum bene ac sobriè locutum affirmas; nolis autem doctrinam hauriri ex omnibus, sed paucissima duntaxat in pretio habenda contendas. Centum amplius opuscula conscripsit, magnamque ad posteros transmisit epistolarum, & sermonum copiam, atque adversus solos Pelagianos libros edidit faciliè triginta. An igitur his insuper habitis paucis ejusdem pagellis studium nostrum circumscribemus? neglectis interea Operibus, quæ & diligentius elaborata, & molis majoris sunt? neglectis commentationibus in S. Scripturam, & ad proposita sibi dubia responsionibus? neglectâ demum nunquam satis deprædicatâ ipsius exegesi in Psalterium, quam Cassiodorus, alique veteres ceteris omnibus ejus lucubrationibus anteponunt? Quam insolens non est, cum dici sæpe audimus Sancti hujus Sermones potissimum levioris esse momenti, quod alius omnino sit à se, cum pro concione dicit? quasi verò Sermones hos non composuisset jam episcopus, & plenè à DEO his in rebus collustratus; quasi cum è suggestu verba facimus licitum foret disseminare dogmata minus sana, & secuta; quasi conciones veteres forent lucubrationes Rhetoricæ, cujusmodi progressu temporis evasere, & non interpretationes potius, & commentationes in S. Scripturam; adeo ut verè sint Tractatus, quò etiam nomine appellati

(a) de ver. rel. n. 20. (b) de verb. Apost. serm. 131. c. 10. (c) op. imperf. l. 1. c. 103. (d) epist. 173. n. 6. (e) de bapt. con. Don. l. 1. n. 16.

\*\*\*\*\*



à priscis fuere, quemadmodum norunt ii, qui Codices MSSos trivere. Ven. Cardinalis Thomasius, vir raræ Sanctitatis, & Doctrinæ, cum sanctorum Patrum Operibus, unde Theologica scientia commodius peteretur, in unum congestis Institutiones suas Theologicas vulgare aggrediretur, excussit præ cæteris Augustinum. Ex Indice, quem alteri tomo subnexuit, apparet, adhibitos ab eo non solos fuisse libros, qui jam unice postulantur (et si cætera doctissimos;) sed selectas insuper fuisse duas catecheses, librum de hæresibus, Enchiridion, tractatum de agone Christiano; cumque nil nisi quod ad Theologiam faciebat, usurparet, non omnes de Civit. libros, sed octo solos fuisse delectos.

15. CETERUM nolim quenquam existimare, ejusdem ordinis esse omnes illos, quibus vulgò Jansenianorum nomen impingitur. Sunt enim primum aliqui, in quos illud cadit injuriâ; utpote à genuinis longissimè disjunctos. Sunt, qui se ostendant horum factioni addictos ex quâdam aut incogitantia, aut novitatis amore, aut ambitione comitatus, aut falsæ laudis vanitate, aut oblatâ quâdam spe allecti; omissis iis, qui ob assignata stipendia præstant obsequia; qui item otio inducti, dignitatibus utpote, & muniis exclusi aut in libellis venenum propinant, aut in omnis generis voluminibus, & Lexicis potissimum, cum reciduntur, per inserta iis pestifera dogmata corrumpendis operam ponunt. Non pauci per vafros seductores falsis delusi narrationibus in errorem dati sunt, forentque ab eo prorsus alieni, si veram à quopiam lucem acciperent.

*Varie  
Jansenia-  
norum  
classer.*

INTER præcipuos tamen tot diffensionum Autores palam est, complures non tam opinionum diversitate, quàm vehementi religionem Romanam, & Gallicanam convellendi, eamque quæ ineptè Anglicana audit, invehendi cupiditate fuisse incensos. Hinc illæ machinationes, hinc insolens illud literarum commercium; hinc dispersæ per epistolas sat notas Institutiones; hinc Baylii, Basnagii, aliorumque lacrymæ, & lamenta, cur Sectam, cui verè adscripti sunt, palam profiteri recusent?

QUOD hæc sit meta, quò nonnulli collineant, ex eo demonstrare conantur, homines quidam probi, quod detectum fuerit primas sacerdotum aliquot spuriorum curas versari in abolendis, obliterandisque duobus mysteriis, sinè quibus consistere nequit religio Christiana, & Catholica, exhomologesi, nimirum, & S. Synaxi. Eò, inquiunt illi, eò variis conantur artibus, votique eò potiuntur facilius, quò occulti magis hi cuniculi sunt, omnique à strepitu remoti. De his interim mysteriis nunquam vel verbum faciunt, neque ad ea adhortantur, neque ad ea erudiunt. Significant illis è contrario, ut Sacris quis epulis dignè accumbat, opus fore, ut abjectâ omni de mundo cogitatione, solo, puroque DEI amore exæstuet; necessum proinde esse, ut hujusmodi quis perfectionem expectet, cæteroquin reum fore peccati. In Sacris potissimum tribunalibus coquuntur hæc consilia, quia juxta novam Doctrinam *Modus plenus sapientiæ, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati.* Et qui scit, quid sit vera penitentia, non debet velle *statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum privavit, idest gratiæ Divinæ, detrectantes separationis istius ferre confusionem.* Ex his principiis inducere morem denegandi absolutionem, eamque semper; tamen nil admodum causæ subesset, procrastinandi, ipsum etiam sic Pascha celebrantes. Quo fit ut paulatim intepestat spiritus conversionis, pietatisque Christianæ. Consuetudo Sacra mysteria frequentandi inolescit, viraque sinè illis otiosa præterfluit. Deum immortalem! quàm diversa, quàm longè disjuncta hæc agendi ratio est ab eorum more, qui sanctè adhortantur, nèquis in adeundis sit nimium facilis, neque abutatur frequentia, qui item prohibent homines non removens emendationis obstacula, neque de vitâ corrigendâ laborantes? Hunc esse ipsorum

\*\*\*\*\*



Instituti effectum, deprehensum à se viri supra laudati ex eo asseverant, quod observatum fuerit, aucto licet Parisiis feliciter populo ad communionem tamen Paschalem accedentium numerum pluribus in Parœciis dimidia ex parte fuisse imminutum. Hic demum oculos quisque aperiat, advertatque quod demum tendat hæc dissensio, anque de subtilibus tantum hic agatur, Scholasticisque controversiis? Invaluit mirum quantum hoc malum, ex quo asfinxerunt prodigia illi, qui nè Paschatis quidem tempore ad hæc accedebat mysteria, imò nè extremæ quidem lineæ admorus id præstitit, sola, ut ajunt, sui despicientia ipsum ab illis prohibente. Porro, ut rectè intelligatur, quàm necessaria probo Christiano sit Sacramentorum frequentia, sufficiat, missis cæteris quæ hic afferri possent, sumere, in manus excusum admodum nuper *De Servorum DEI beatificatione* tomum tertium; (\*) magni illius Archiepiscopi opus, qui tanto modò & Italiam & Ecclesiam splendore illustrat, Eminentissimi, inquam, Cardinalis Lambertini. Videatur capite illo, quo hæc disputantur, an vitam agere Christianam, nedum Sanctitatis adipisci gradum possit, qui à Sacris hinc mysteriis aut planè se abstinet, aut eodem nonnisi rarissime accedit.

16. NON est, cur miremur, si his veritatibus applaudant certi libri, & pagellæ quædam peregrinæ, in quibus etiam ii, qui ne leviter quidem hæc studia attingere, liberè ferunt sententiam, plenòque ore declamant. Nil prohibet dicere hodie cum S. Hilario tot existeret multis in regionibus *fides*, *quot voluntates*, (a) & capita. Sed, quando de verà impugnandâ agitur, collatis omnes studiis conspirant, Pertinent etiam ad hoc fœdus ii, qui omnes ex æquo rident. Credibile est, horum de grege esse, qui tanto conatu comminiscitur prodigia, ut imperitis persuadeat, fuisse Sanctum aliquem ex appellantis. Nova profectò ab incude non minùs hæc miracula, veniunt quàm doctrina. Dum enim gratiæ, quas viri Sancti suis à Deo precibus obtinuerunt, in aliorum semper emolumentum, & ægrotorum cumprimis Sanationem cedunt, hic contra neo-Sanctus, si ipsorum quidem verbis stamus, ea passim procudit miracula, quæ Sani in morbos incidunt, ejusque Clientes ineptis lepidisque distorquentur convulsionibus, ex quarum principio & fine vera semper contextitur comœdia. Arrident id genus miracula Deistis. Potissimum, & atheis, quod ex probationibus, multiplicatisque tot prodigiorum testimoniis, quæ falsa esse non continuò liquet, per nefariam consecutionem deducant nè habendam quidem esse fidem iis, quæ in Veteri narrantur Instrumento. Credâtne quispiam secuturis olim sæculis, extitisse Episcopum, qui hujusmodi deliria in edito à se mandato contulerit cum miraculis JESU Christi, jactitans, illa demum rediisse tempora; Romanamque idcirco Ecclesiam esse schismaticam? An item quis credat, ex Gallis nobili semper imperu in tuendam nationis gloriam, omnèque regno procurandum emolumentum ferri solitis, nostro ævo fuisse aliquos, qui Schediasmata in famæ, & publicæ quietis detrimentum miserè contexta tanto studio promoverent? qui tuerentur etiam sensa hominis, typo dare non dubitantis, *omnes* per Galliam *potestates* (nè supremis quidem Magistratibus, Episcopisve exceptis) *esse contrarias prædicatoribus veritatis* (b) qui cæco abrepti studio gloriafi sint de Jansenio, homine, inquam, non Gallo aut ortu, aut genio, sed Batavo, regnique inimico capitali: Siquidem librum atrocissimarum in Galliam, ejusque reges calumniarum plenum (c) conscripsit.

17. O si multi eorum, qui in Bullam hanc invehuntur, suo uti vellent ingenio, animoque tranquillo expendere, quanta illius fuerit amentia, qui omnes, quoad vixit, in eo consumpsit vires ingenii, ut evinceret, non habere nos libertatem arbitrii; seu (quod eodem recidit) ut bestiarum nos simi-

(\*) lib. 3. c. 27. (a) Ad Constant. l. 2. n. 4. *Miserabile est, tot &c.* (b) Quesn. prop. 96. *Deus permittit ut omnes Potestates &c.* (c) Mars gallicus.



les efficeret? Si levem hunc suscipere vellent laborem, indagandi in proscrip-  
tarum propositionum originem, repetitorumque anathematum; inquirendi  
in imposturas, in Sermones ancipites, fraudesque quibus illæ interdum fuere  
incautis instillatæ, aut discutiendi, saltem securosque se reddendi de genuino  
Augustini his in rebus sensu, de quo non disputant, nisi *de auditu!* Verum  
in eo totum vertitur, quod deberent non pauci aliis multò rem istam arcef-  
sere; propterea, quòd, quamdiu quis religionem respicit tanquam rem om-  
nino adiaphoram, nunquam certè adjiciet animum ad serium hoc studium,  
quo tamen in hujusmodi negotio planè opus foret. Esset proinde è re mul-  
torum, ut persuaderent primum sibi, non potuisse, se ipsà, hanc mundi  
coalescere compagem; non potuisse tantum, tanquam admirabilem rerum  
ordinem provenire, nisi à mente, quæ inveniri nequibat in materiâ. Non  
potuisse combinationes materiæ fieri absque motu, à motu autem primum  
motorem supponi. Informare prius animo, quàm complecti oporteret ideam  
entis, quòd, quia necessariò omnipotens, infinitum, & omni nostrâ facultate  
superius est, progredi ad condendum aliquid extra se non potuerit, nisi pro-  
priâ commotum gloriâ. Cum itaque conditus ab illo sit homo, mentemque  
consecutus illius & agnoscendi, & colendi capacem, nunquam fas erit cre-  
dere, perinde ei esse, recipiatne hunc ab illo cultum, annon. Religionem  
itaque ens illud postulat; & quoniam idem justissimum est, hominemque  
boni perinde ac mali capacem condidit, credi nequaquam potest, eodem  
illud animo utrumque accipere, quin uni præmium, alteri supplicium con-  
stituatur. Quis furor, cogitare, nullam Deum universæ hujus molis habere  
curam? Siquidem nè consistere quidem posset, nisi suâ ipse omnipotentia  
eundem conservando, assisteret. Itaque si existere religionem necesse est,  
certum quoque est atque indubitatum, rem hanc fore gravissimam, maxi-  
mique in hac vitâ momenti, ac tanti quidem, ut res aliæ cum hac unâ collatæ  
dignæ risu evadant. Magnæ itaque erit dementia, velle eam corrumpere,  
immutare, vel vanitatis, utilitatis, aut vindictæ causâ alterare. At quæ de-  
mum seligenda venit religio? illa profectò, quæ plures veritatis præferat  
notas, quàm omnes ceteræ; non autem illæ, quæ Deum verum, atque  
unicum nullâ veneratione prosequuntur: non illæ quæ utrumque testamen-  
tum tot miraculis coram mundo universo comprobatum, non amplectuntur.  
Sacra Scripturæ verba plura nos edocent, quàm omnes philosophi, to-  
tiusque orbis historiographi. Certis quæ primum pro Judaicâ tum pro Chri-  
stianâ fide militant, notis utramque possemus implere paginam; sed nolunt  
recentiores præberi assensum rebus nisi perspicuis, atque ἀπὸ τῶν ὁρατῶν. Cui  
igitur eundem præstabimus? An res physicas, nostrisque subjectas oculis in-  
telligimus? an multa novimus de intima eorum essentia? An, id quod scien-  
tiam sæpe, & sapientiam vocitamus, isthòc nomine verè meretur insigniri?  
an demonstrata sunt pulcherrima illa theorematata, de quibus adèd nobis plæ-  
cemus? an quæ in numero rationum ponimus, etiam re ritè expensâ, ratio-  
nes sunt? vel annon potius magis in dies magisque confirmatur illud Ecclesia-  
stis: (a) *Et intellexi, quod omnium operum DEI nullam possit homo invenire  
rationem, eorum, quæ sunt sub sole, & quāto plus laboraverit ad querendum,  
tantò minus inveniat, etiamsi dixerit sapiens se nōsse, non poterit reperire.* Jam  
verò quid aliud suspicabimur subesse causæ, cur conditor universorum nos  
adèd voluerit deprimere, nisi ut disceremus demissè de nobis, in illius con-  
spectu sentire. In omnibus vitæ nostræ negotiis acquiescimus certitudini mo-  
rali, probabilitati item illi, & rationum illarum complexo, quæ hominem  
quemvis prudentem ad credendum, præstandumque assensum compellunt.  
Quid igitur est, quod in solâ re præsentē aliam ire velimus viam? O quàm

*Indisse-  
rentimus  
deponi  
prius à  
multis de-  
beret.*

(a) Eccles. VIII. 17. *Et intellexi, quod omnium operum DEI nullam possit homo invenire rationem, eorum, quæ sunt sub sole, & quāto plus laboraverit ad querendum, tantò minus inveniat, etiamsi dixerit sapiens se nōsse, non poterit reperire.* \*\*\* 2



obtusa sunt illa ingenia, quæ passim audiunt aucta! Commiserationem homini intelligenti movent Doctrinæ illæ, de quibus hic inter suos sese efferunt insolentius! videntur sibi supra vulgus assurgere, atque ita infusè ratiocinantur, ut eâ in re se infra extremam scabiem abjiciant. Non sciunt miselli ad faciendos in hac disquisitione magnos progressus initium duci oportere ab imploratione auxilii, luminisque illius DEI, quem ipsi recusant agnoscere.

Sola Catholica vera est religio.

SED quandoquidem omnia hæc recta nos ad fidem Christianam deducunt, observare juvat, à primis jam inde temporibus inter Christianos modò ab eminendi, primasque tenendi studio, modò à quæstus aut novitatis amore, modò ab hominum quorundam insolentiâ, atque incapacitate innumerabiles propemodum sectas fuisse procreatas, quarum plurimæ extinctæ sunt, multæ proximis natæ sæculis adhucdum vigent. Verùm agite, quis unquam homo prudens, quis generosus animus, quis denique mortalium, qui quidem aliquo ingenii lumine prædicitus sit, (nisi infidente jam animum præjudicatâ opinione, cæcæque quam educatio insequitur, consuetudine) posset un potius vel alteri manus dare, quam fidei illi Catholicæ, priscisque Institutis, quæ ab ipso Servatore, atque ab Apostolis per Patrum traditionem, continuamque Episcoporum successionem ad hanc usque ætatem fuere propagata? Propriæ utilitatis spe factum est, ut disgregati jam populi jugum sibi impostum excusserint, tantamque imperus, quem Spiritus Schismatis adferre secum solet, hominibus animorum abalienationem afflavit, ut non modo disciplinæ, sed compluribus etiam dogmatis nuncium decreverint remittere. Sapientiores nihilominus, doctioresque provinciarum divissarum homines inficiari non possunt, Ecclesiam Catholicam omnis esse erroris immunem. Anno 1707. in Helmstädiensi Academiâ, quæ inter celebriores Lutheranas est, proposita publicè quæstio fuit: *An in Catholica religione possimus Salvi fieri? &c...* Num status Ecclesiæ talis sit (\*) ut cum ipso veram colere, vel habere religionem, & ad æternam pervenire Salutem possimus. Et indubitanter responsum fuit, quod possimus. (a) Plura hanc in rem adducta fuere momenta, & gravia virorum testimonia, ac Speciatim Melanchtonis, qui inter præcipuos Schismatis Authores numeratur. Inter Catholicos, inquebant veram esse Ecclesiam, hoc est talem Congregationem existere, quæ DEI verbum audit, & Sacramentis à Deo institutis utitur, negari nequit. Ità voverunt omnes facultatis Theologicæ Helmstädiensis Professores hæc die 28. Aprilis an. 1707. nemine excepto. Nos contra non sine vehemendi dolore ex SS. literis, & traditione evincimus, non esse salutem extra Ecclesiam Catholicam, & si quis vel uno in dogmate obstinatè repugnat, dissentitque, cætera omnia esse inutilia, omniaque ejus bona opera in fumum abire. Unum ex dogmatibus est Primatus Pontificius, Ecclesiæque autoritas, & infallibilitas. Jam inde à primis Christianis temporibus Gallos docuit D. Irenæus: (b) ad hanc... Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in quâ semper... conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Manifestum igitur est, quod quicumque solenni Clementis XI. decisioni, ab universâ Ecclesiâ admittæ, summoque plausu, & veneratione exceptæ obstrepit, à fide orthodoxâ procul abeat, dumque adversus Pastorem insurgit, discessionem faciat, seque à grege disjungat. Docuit idipsum paucos ante annos adhuc in Galliâ Synodus Ebrodunensis celebrata sub auspiciis eruditissimi Tancinii (c) Episcopi, qui modò Purpuratos inter Patres latè resplendet: Constitutio Unigenitus &c... (d) cui suffragata est omnis Ecclesia est dogmaticum, definitivum, & irretactabile judicium. In eâ non Patrum sententiæ, non Catholicarum Scholarum opiniones, ut calumniantur novatores, sed imprimis Baji, & Jansenii errores jamdudum damnati iterum damnantur. Qui ad

(\*) Theses Helmstad. an. 1707. (a) ibid. (b) lib. 3. c. 3. (c) le Card. de Tencin. (d) Conc. Ven. tom. ult. p. 1917.



*Concilium generale appellare præsumpserit, ipso jure irritum, Scandalosum Schismaticum, sedi Apostolicæ, & Ecclesiæ injuriosum actum committet.* Neque ad rem est, quod quidam refragati fuerint episcopi: id enim in omnibus prope decisionibus Ecclesiæ accidit. Neque unquam aut lata esset, aut fortè etiam posset ferri sententia authentica, si necessum foret, ut tanto è numero dissentiret nemo. Adversus Decretalem Zosimi Papæ, quæ contra Pelagianos ultima, atque decretoria fuit sententia, multò major reclamavit Episcoporum numerus, decem & octo usque adeò repertis, qui recusarent subscribere, & tamen nemini unquam mortalium in mentem venit dubitare, an hæc eorum condemnatio ultima esset, & decretoria. Quod porro viri complures privati, Curiones item, Clerici, atque adeò Moniales, & homines profani vanitate quâdam inducti inter Appellantes se cooptrari curarint, id sanè explodendæ potiùs religionis causâ, quàm ut Bullæ valor dubius reddatur, factum videtur. In summâ ex omnibus, quæ fieri possunt, animadversionibus plenum est, debere omni genuino Gallo cordi esse, ut errores damnatos in aprico ponat. Nihil perinde ad Gallos pertinet, ac Romana religio. Hujus semper præcipui defensores extitèrè Galli, eruntque semper propugnatores gloriosi. Quid dicemus de eruditionis famâ, quam hæc Metropolis nullo non ævo sibi ceu propriam vindicavit? Non injuria nuper hospes quidam hæc ipsâ de re in admirationem raptus in epistolâ dedicatoriâ certo suo libro præfixâ ita cecinit: (a)

*... Musarum nova regna, novatque*

*Sed fato meliore suas spectabis Athenas*

Deque tribus insignibus Academiis, in quarum unam magno suo bono adlectus fuit, quæque scientiis, eruditioni, & linguæ puritati consecratæ sunt, scripsit:

*Quid ternos memorem, Pallas quis invidet ipsa,*

*Ipse & Apollo choros? datur his res temporis acti,*

*Eloqui, & veneres, & rerum noscere causas.*

Quantum autem tantæ apud omnes existimationi, & famæ, ob quam jure hæc Civitas deprædicatur, non officeret is, qui foveret vanas illas imposturas, quibus persuadere Europæ nonnulli cuperent, firmari hic testimoniis virorum insignium adeò putida commenta, prodigiaque multò, quàm quæ Apollonio Tyanæo tribura fuèrè, lepidiora, iisque hæc in Urbe fidem præstari! In eundem igitur finem quemadmodum semper, ita & in re præsentì conspirant & religionis Sanctitas, & Nationis decor.

(a) *Galliæ Antiquitates &c.*

